Johannes dei et apostolice sedis gracia Episcopus Misnensis Ad perpetuam Rei memoriam Pastoralis Cure esse videtur pia
fidelium vota tanto ampliori benivolencia prosequi, quanto alias divino instinctu ad dei omnipotentis cultus augmentum con
spicimus propensius inuigilare vtque ea que semel deo dicata existunt ad vsus humanos redigi non possunt, per nre confirma
cionis robur libenter communiri. Hinc devocionis nobis in cristo dilectus Martinus Scherczenpflugk vicarius perpetuus vi
carie sancti Thome apli etc. In cappella Beate marie virginis extra muros Budissin nre dioc. secum recogitans quam
meritorium sit et salutare deum optimum maximum in suis sanctis extollere et venerari Nobis exposuit qui curauit quod vica
ria sua prefata non esset congrua dote dotata vt pro sufferendis oneribus eiusque vicario sive ministro sufficere possit
Nobisque quinque florenos ren. annui census iusto et legali rempcionis titulo pro quinquaginta similibus florenis prout in
litteris desuper confectis clarius continetur emptos et comparatos offerri fecit Cum humili supplicacione vt censum prefatum cum
summa capitali pro vberiori vicarie dotacione oblatum acceptare memorateque vicarie eiusdem incorporare et vnire ecclesiasticis
que priuilegiis libertatibus atque immunitatibus graciosius communire et insignire dignaremur Nos igitur Johannes Episcopus antedictus
diuini cultus augmentum et roboracionem perpetuare cupientes peticionem huiusmodi pro parte Martini prefati in nos fusam tamquam ius//
tam et consonam racioni duximus admittendam et auctoritate nra ordinaria censum prefatum vnacum capitali summa accepta
mus et pro augmento dotis vicarie Sancti Thome sive ministro eius vnimus incorporamus et confirmamus decernentes eosdem
ecclesiasticos deinceps fore ecclesiasticisque priuilegiis libertatibus atque immunitatibus Etiam si locis rempcionis aliis empti essent
gaudere debere. Instar aliorum ecclesiasticorum et deo dicatorum censuum. Inuasores et distractores eorundem sacrilegos esse et tamquam
sacrilegos ecclesiastica censura cohercendos Et quia vicaria ipsa pro quantitate dotis satis prius grauata est oneribus Nolumus
propter vnionem censuum predictorum eidem aliquid oneris imponere Sed volumus vt onera in prima illius confirmacione imposita
diligenter adimpleant, nec volumus per presentem nram incorporacionem priori confirmacioni in aliquo derogare Sed potius
eandem in singulis punctis et articulis corroborare et confirmare, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis Premissis omnibus
et singulis auctoritatem nram ordinariam interponentes pariter et decretum Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nre in//
corporacionis vnionis confirmacionis corroboracionis et decreti nri interposicionis infringere aut ei ausu temerario quouismodo
contraire. Si quis autem hoc attemptauit, indignacionem omnipotentis dei et beatorum petri et pauli apostolorum eius se nouerit
incursurum Datum in castro nro Episcopali Stolpen Anno domini Millesimo quingentesimo secundo die vero tercia mensis
Junij Maiori nro in fidem omnium et singulorum premissorum [illegible] sigillo